

in eius morte; Sequitur: eadem illa vox in deserto Sinai solam terram, at, quod postremum est, in morte Christi non solam terram quassavit, sed etiam simul coelum, itaque maioris momenti ac dignitatis est commotio terrae facta in N. F. functione, quam ea, quam in Veteris Oeconomiae institutione terrarum orbis expertus est. Videamus de singulis.

## §. 6.

Solemne est Apostolo, imprimis in libello sacro, quem Hebraeis inscripsit, res gestas V. T. cum illustrioribus N. T. monumentis conferre, ut partim huius res praecipuas iis, quae in V. T. facta sunt, significatas esse doceat, partim vero insignem huius praestantiam, qua illud superat, uberioribus argumentis confirmet. Idem & hic in Paulo observamus. Comparat enim terrae motum in Novo Saeculo factum cum eo, quem sensit orbis antiquus. Tempus quidem, in quod incidit ille terrae motus, haud accuratius designat, quam vocabulo τότε. Cum itaque in illa mundi aetate, quae a Mose ad Christum acta est, complures observati fuerint terrae motus, dubium videri posset, quemnam inter omnes petat. At si accuratum, quo iuncta sunt verba Apostoli, nexum spectes, in aprico positum est, sermonem ab eo institui non de quovis terrae motu, qui olim factus est, sed de singulari quodam ac praecipuo, qui ab reliquis & fine, & modo, longe diversissimus est. Quinam itaque est? Ille sane, qui factus est in functione V. T. quod ei opponitur ille, quo nobilitata sunt N. T. auspicia; Indeque manifestum est, memoriam vehementissimi illius terrae motus repeti, quo contremuit & desertum & mons Sinai in gloriosissima legis divinae promulgatione Exod. XIX, 18. Psalm. LXVIII, 9.

## §. 7.

Post eam terrae commotionem nulla unquam tam memorabilis neque fuit, nec esse ex divina mente debuit praeter  
unam